

apud curias eorundem residentes, quibus, sed et coningibus et liberis ipsorum uictus cottidianos (sic) per dominos eorum ministraretur, qui ad solutionem huiusmodi collecte mardurinalis minime tenerentur, prout etiam nec ab antiquo tempore dicati exstitissent, in medium aliorum ad soluendum dictos prouentus arctarentur et compellerentur. Et vltra hec tempore exactionis huiusmodi mardurinarum diuersa victualia hominibus et equis necessaria, per villas in rebus ac in pecuniis vltra debitum exigerentur, multisque aliis diuersis adinnentionibus incole dicti Regni nostri Sclauonie et Comitatus specialiter Zagrabiensis prefati grauarentur et opprimerentur. Quod in maximum preiudicium ipsorum Nobilium et possessionatorum hominum cederet, oppressionemque pauperum atque dampnum. Supplicauerunt itaque prefati Nuncii suis et aliorum quorum supra nominibus nostre Maiestati humilli precum instantia, vt eisdem circa premissa regali subleuamine prouideremus. Vnde nos, qui cunctorum nostrorum subditorum nobis fidelium ex officio nostri regiminis casus nociuos per consueta remedia reformare, ac iniuste grauatis et oppressis regia prouidentia solemus subuenire. Supplicationibus predictis regali pietate exauditis et clementer admissis, volumus, vt amodo deinceps et in posterum huiusmodi prouentus mardurinales in dicto regno Sclauonie et Comitatu Zagrabiensi iuxta dispositionem quondam Serenissimi principis domini Sigismundi Imperatoris et Regis Hungarie, Aui nostri, eodem modo, quo prouentus lucri Camere nostre in hoc regno nostro Hungarie dicantur et exiguntur, vt porro de singulis quoque portis vnus florenus auri aut valor eiusdem sine aliqua nouitatis inductione consueto tempore exigatur. Quocirca vobis fidelibus nostris dicatoribus et exactoribus predictorum prouentuum mardurinalium in prefato Regno nostro Sclauonie, ac in dicto Comitatu Zagrabiensi nunc constitutis et in futurum constituendis, harum serie firmiter precipientes, mandamus, quatenus amodo in posterum omnibus affuturis temporibus prescriptos prouentus mardurinales secundum predictam dispositionem seu ordinationem tempore consueto a populis et Jobagionibus iam factorum Nobilium et hominum possessionatorum dicti regni nostri Sclauonie et signanter Comitatus Zagrabiensis exigere et leuare debeatis, nec quidquam amplius pro dica, uel sigillo aut quittancia, uel etiam portario seu hostiario vestro petere, seu vltra debitum aliqua victualia in rebus aut in pecuniis a villanis et villicis predictis exigere seu extorquere aliquatenus presumatis. Volumus etiam, vt villici et inquilini seu seruitores predicti contra antiquam dicti Regni nostri Sclauonie consuetudinem in huiusmodi dicatione non connumerentur, sed a talium prouentuum solutione iuxta priorem consuetudinem omnino liberi sint, et supportati habeantur, secus facere non ausuri in premissis. Presentes autem post lecturam semper reddi iubemus presentanti. Datum Bude in festo Beati Mathie Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo. Regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. decimoseptimo, Bohemie vero quarto.

(Locus Sigilli Regii impressi.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae, Priv. N. 22.